



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1663**

S. Rochus Conf. 16. Augusti.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41940**

508 VITÆ SANCTORUM. 16. Aug.  
morituro. Nam primò videre Apostolorum  
Principem habuit, qui noxarum ve-  
niā largissimam nunciabat: mox cæle-  
stium agminū Primipilum, qui com-  
meatum in cælum promittebat; demum  
ipsam cæli Reginam, quæ festo sibi, quo  
cælo recepta fuit, die, recipiendum cælo  
etiam ipsum indicavit. Tanti, ô Superi-  
tanti ægrotare etiam mihi foret! Ex  
*Surio.*

*Pretiosa mors Sanctorum, pretiosa pla-  
nè, tanquam finis laborum, tanquam vi-  
ctoria consummatio, tanquam vitæ janua  
& perfectæ securitatis ingressus. S. Bern.  
in epist.*

S. ROCHUS CONF. 16. Augusti.

**N**ascitur Rochus loco per illustri in  
Gallia, portentosâ Cruce à matre  
rubens: ætatis anno duodecimo amissis  
parentibus etiam opes in pauperes abji-  
cit; ipse ditione suâ patruo commissâ,  
Italiam Religionis caussâ petit. Hic  
dum laborantibus peste servitium suum  
addicit, magnâ omnium admiratione  
quàm plurimos sanitati Crucis signo  
restituit. Secundùm hæc divinitus edo-  
ctus, quibus malis porrò exercendus es-  
set, acutâ primùm febri tentatur, mox  
sagittâ coxam trajicitur. Sanus boni  
Angeli ope, dum in patriam repedat,  
iterum æger ex itinere sub arbore decum-  
bit,

17. Aug. VITÆ SANCTORUM. 509  
bit, annonam in dies singulos panem  
unum cane subministrante. Redux deni-  
que in suam ditionem, eandem domi,  
quam foris fortunam, hoc est iniquam  
reperit. Graffantibus enim per ea tempo-  
ra ubique bellis, pro exploratore habitus  
captusque ab ipso patruo hospitio publi-  
citus, hoc est, carcere excipitur. Hoc cùm  
mille modis absolvere seipsum posset,  
quinque ipsos tamen annos delitescit:  
Tandem cùm nomen tabulæ suum in-  
scripsisset, simul amplam sponzionem,  
quâ cælum omnibus peste correptis me-  
dicinam ROCHI intercessionem fore e-  
dixerat; peste ipse Medicus pestiferorum  
decedit. Sed tanti fuit, ut liber animus è  
geminò carcere evolaret. Ex Lippeloo.

Quomodo tenebas sacculum, ne tibi ex-  
torqueatur à fure, sic custodi innocentiam, ne  
tibi extorqueatur à diabolo; sit illa certum  
patrimonium tuum, de qua sunt divitiae &  
pauperes. Quid tibi prodest lucrum auri, &  
damnum innocentiae? ergo custodi innocentiam?  
S. Aug. serm. 3. sup. psal. 36.

S. M A M M A S M. 17. Augusti.

Qui puerum MAMMANTEM Mar-  
tyrem miraris, noveris lac Martyris  
bibisse. In carcere quippe natus primas  
cunas vincula habuit, primum ridere  
inter utrumque parentem mortuum  
visus est, cùm pater ante ejus ortum,  
mater